Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26147
Copyright: Admont, Benediktinerstift

signo a ceteris nationibus discerneretur populus ille. In carne vero preputii ideo iussa est fieri. quia in remedium instituta est originalis peccati quod a parentibus trahimus per concupiscentiam que in parte illa magis dominatur. et quia in parte illa culpam inobedientie primus homo sensit. decuit ut ibi signum obedientie acciperet. Fiebat autem octava die petrino cultro. quia et in resurrectione omnium octava etate futura per petram christum omnis ab electis abscidetur corruptio. et per christi resurrectionem octavo die factam circumciditur a peccatis anima cuiusque in eum credentis. Due ergo res sunt illius sacramenti. Ideo autem mutata est circumcisio per baptismum. quia sacramentum baptismi et communius est et perfectius. quia pleniori gratia accumulatum. Ibi enim peccata solum dimittebantur. sed nec gratia ad bonum operandum adiutrix. nec virtutum possessio vel augmentum ibi prestabatur ut in baptismo. ubi non modo abolentur peccata. sed et gratia adiutrix confertur et virtutes augentur. Unde aqua refectionis dicitur que aridos fecundat et iam fructificantes ampliori ubertate donat. quia quantumcumque per fidem et caritatem ante habitam aliquis iustus ad baptismum accedit. uberiorem ibi gratiam recipit. sed non ita in circumcisione. Unde abrahe per fidem iam iustificato signaculum tantum fuit. nichil ei interius contulit. De parvulis defunctis ante diem octavum.

VIIII. Si vero queritur de parvulis qui ante diem octavum moriebantur antequam fieret circumcisio ex lege utrum salvarentur vel non. idem potest responderi quod sentitur de parvulis ante baptismum defunctis. quod superius constat. Unde Beda. qui nunc per evangelium terribiliter et salubriter clamat. nisi